



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

Considerationes Ad Exercitia Spiritualia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

CONSIDERATIONES

AD

EXERCITIA SPIRITUALIA.

CONSIDERATIO PRIMA.

*De Missa Sacrificio, sacra Communione, & visitatione SS. Sacramenti.*

Cum actiones istæ Christo nos uniant, maximas utilitates afferent, si ritè fiant.

DE SACRO MISSÆ SACRIFICIO.

I. Cum ad sacrum vel faciendum vel audiendum pergis, meminisse potes, te pergere ad Calvariæ montem, ubi pro te Christus erit victima.

II. Si attendas ad ea quæ sacerdos inter celebrandum facit, in ipso introitu una cum eo confitere ex animo peccata tua, sicque te ad purissimum sacrificium puritate tui cordis dispone.

III. In ipso evangelio, memento te esse Christianum, tibi standum pro evangelio esse, tibi pro illo, si res ita postularer, sanguinem esse profundendum.

IV. Quatuor habet illud sacrificium: holocaustum est, eucharisticum, propitiatorium, impetratorium. Offerre illud in honorem supre-



mæ illius majestatis ? in gratiarum actionem pro tot à Deo beneficiis acceptis ? in propitiationem pro peccatis tuis ? in impetrationem gratiarum quibus tu aliique indigetis ? Vide, ut te quoque Deo cum hostia offeras.

V. Si sacrum facis, observa ceremonias omnes, eodemque te modo gere, quo se gereret Christus ipse, cujus illic personam geris. Si sacrum audis, uniri debes mente cum ipso celebrante, ita ut quodammodo cum illo fias unus celebrans & unus sacerdos.

VI. Ne distractionibus vagetur animus, uti potes, vel orationibus vocalibus, vel potius meditationibus aliquot de Passione Christi, quæ tota missa repræsentatur.

VII. Si reipsa communicare non potes, potes saltem, dum celebrans communicat, mente & spiritu communicare. Idque facies, 1. si præ humilitate unire te non audeas cum Christo, eo modo quo sacerdos facit. 2. Si præ summo in Christum amore illud tamen etiam atque etiam desideres.

#### DE SACRA COMMUNIONE.

I. Satis est semel communicasse, ut perfecti simus : cur ergo post tot communionem ita imperfectus es ?

II. Accedisne ad illam eo modo, quo si in paradysum intrares ? Quid enim ? nonne tibi tanta opus est reverentia, ut recipias Jesum in te, quanta ut recipiaris à Jesu in regno suo ?

III. Si frequens communionis usus nonni-  
hil



hil detrahare videatur ex illo fervore, quo primum ad eam accesseras, id tua culpa contingere scito. Quo quis enim sæpius communicat, si modo bene dispositus fuerit, eo sæpius vellet communicare: quemadmodum Beati quo diutius vident Deum, eo magis ac magis videre illum cupiunt.

IV. Cùm habes Jesum in pectore, cogita tunc esse *tempus acceptabile & diem salutis*. Habes enim tuac temporis potissimum Dominum, à quo sperare omnia debes: habes sapientissimum medicum, qui curare omnes languores tuos potest: habes charissimum amicum, à quo petere omnia potes & accipere: habes suavissimum sponsum, cum quo potes amantissime colloqui, &c.

V. Audisne quid loquatur in te Dominus? ut te tuarum negligentiarum suaviter admonet, ut te tuum officium docet, ut te amplectitur, &c.

VI. Magna hinc præparatione est opus. Quare hæ veritates quantumvis vulgares sæpius animo sunt repetendæ. *Quis es, Domine, qui ad me venis & quis ego qui ad te accedo? quomodo venis ad me, & quomodo accedo ad te? cur venis ad me, & cur ad te accedo? Quid à me postulat, quid ab illo postulo? Quid facere pro me nunc potest, quid facere pro illo nunc debeo? Quid dedit, quid retribuam? Tum quæ difficiliora videntur in Dei cultu cogita, & vide an Deo, qui se totum dat tibi, denegare quidquam debes.*



DE VISITATIONE SS. SACRAMEN-  
TI. Tempus statuere debes & locum in quo illa  
fiat. Fiet autem cum fructu, si memineris adire  
te, modo regem tuum, modo doctorem tuum,  
modo patronum, modo medicum, modo amicum,  
modo patrem optimum, pro ea, in qua tunc eris,  
necessitate, vel pietatis sensu. Hæc si rectè face-  
res, quid non haurires ab illo gratiarum fonte?

## CONSIDERATIO II.

*De Examine conscientia & Confessio-  
ne Sacramentali.*

**D**E EXAMINE CONSCIENTIÆ.  
I. Non advertis forsitan quam tremendum  
futurum sit illud examen, in quo Deus iudicare  
te debet? Illudne prævenis serio tuæ consci-  
entiæ examine?

II. At quam negligens es in eo? quam malè  
observas quinque illius puncta? vix lumen quæ-  
ris à Deo, ut peccata tua penitus introspicias?  
vix illa percurris: vix ad eorum radicem usque  
penetras: vix contereris de illis: vix emenda-  
tionem proponis: vix investigas modum quo  
illa vitari deinceps debeant. Hæc diligentèr  
expende.

III. An soles annotare tunc præcipua pecca-  
ta, ut ea postmodum apud sacerdotem depo-  
nas? an post examen aliqua Deum satisfactio-  
ne aut pœnitentia placare soles?

IV. Paratúsine es ad mortem, & ad exa-  
men Dei, post illud tuum examen? an postea

te



te magis colligis? quis tandem fructus ex illo remanet?

DE SACRAMENTO POENITENTIAE. I. Quomodo ad illud accedis? an tanquam ad pretiosum sanguinis Christi balneum, in quo sordes omnes tuas debes abluere?

II. Quo motivo ad illud accedis? an ut soli consuetudini pareas? an ut animi tantum & conscientiae cesset perturbatio? an non magis ut Deo satisfacias?

III. Qua praeparatione ad illud accedis? an post rite examinatum conscientiam? an eo dolore, quo debes conteri? an ea reverentia, qua accederes ad crucem Christi morientis pro peccatis tuis, teque suo sanguine purgantis à sordibus tuis?

IV. Dum confiteris, an omittis aut leviter tantum perstringis ea quae tibi pudori essent? an te excusas? an culpam in alios refundis? an numerum & circumstantias peccatorum refers?

V. An caves postmodum ne recidas? idque si facis, an propter amorem Dei, quem recidendo gravius offendis?

VI. An emendationem proponis, & quam? an poenitentiam imples, & quomodo? an, & quos fructus ex sacramento poenitentiae colligis?

VII. An cogitas, ut absolutionem obtineas à peccato veniali, ita detestandum illius objectum esse, ut fixum tibi certumque sit ab hoc prorsus imposterum abstinere? Si non eo sis animo, frustra illud confiteris.



VIII. An præscriptum habes diem aliquem in quo bis aut semel in anno, conscientiam omnem tuam excutias, & confessione generali peccata, quæ per annum admiseras, deponas apud Confessarium? hac praxi nihil est utilius. An illa uteris, & quomodo?

### CONSIDERATIO III.

*De Oratione Mentali, cæterisq; precibus.*

**O**RATIONI MENTALI, I. Num aliquando defuisti, & quam sæpe?

II. An argumenta meditandi sumis ab autore approbato, neq; suaviora ad consolationem, neque ad curiositatem altiora: sed ea imprimis: quæ ad præsentem animi fructum, ac præsertim ad mortificationem obtinendam sint aptissima?

III. Christi Domini dicta, facta, sed maxime passionem & mortem ut imiteris, sæpius meditare.

IV. Meditationis puncta præcipua, affectusque sero præparabis, revocabisq; in memoriam inter decumbendum, & cum postridie surgis.

V. Animum collige paulo antequam ad meditandum aggrediaris. Initio reverenter Deum adora: postula, ut omnes tum animi tum corporis vires ad meditationem ritè obeundam concurrant: fructumque, quem præcipuè intendis, petere nunquam omittes.

VI. In singulis punctis memoriam, intellectum, & voluntatem exerces; sed præcipuè voluntatem: quæ si post primum punctum pio aliquo



aliquo affectu movebitur, noli ad aliud prætervolare, quamdiu talis affectus durabit.

VII. Colloquia interdum cum Deo, cum B. Virgine sanctisque miscebis, sed præsertim sub finem.

VIII. Varias poteris ex eodem principio conclusiones deducere: sed cave à ratiocinationibus illis subtilioribus & speculativis, quæ sic mentem pascunt, ut voluntatē jejunam relinquunt.

IX. Sæpe inter orandum melius est pati, quam agere, & Deum audire, quam alloqui. Sed periculosum est ne suggestiones diaboli pro divinis inspirationibus sumantur. Quare in his sapientissimo directore opus est.

X. Post meditationem, examinabis quomodo peracta sit. Si quid deliqueris, veniam petes; proponesque emendationem: si quos affectus utiles elicueris, notabis; iisque per diem tanquam orationibus jaculatoriis uteris identidem.

XI. Orationem ex fructu æstima? Vide ergo diligenter quantum ex ea percipias, quæque ex ea ad quotidianum praxim revoces: eo enim referri meditationes singulæ debent.

PRECES I. Quæ voce efferuntur, quotidie aliquæ usurpandæ sunt: sed ita ut eas lente pronuncies, ut modesto sis corporis habitu, & animo vel ad sensum verborum, vel ad finem orationis, vel ad Deum ipsum quem alloqueris attento. Hæc fortè non servas, dum recitatur oratio Angelica, dum benedicitur mensæ, &c.

II. Statue quas preces deinceps velis & possis



recitare in honorem Christi, B. Virginis, S. Josephi, Angeli custodis, patroni, &c.

III. Orationes, quibus ex officio tenemur, anteponendæ sunt iis quas ad libitum usurpamus. Recitari debent attentè, devotè & opportuno tempore.

IV. Singulis horis animum ad Deum converte, item quando te ab actione aliqua ad aliam refers: in eamque rem versiculos è psalmis aliisve sacrae Scripturae locis memoria teneto maximè ex meditatione matutina.

V. Deum ne oras pro Ecclesia, amicis, inimicis, conversione animarum, defunctis, iisque qui se tuis precibus commendarunt; sicine alios tui oblivisci, æquo animo feras?

VI. Sint semper voluntati Dei subordinatæ preces tuæ, Christi que meritis unitæ.

#### CONSIDERATIO IV.

*De lectione spirituali, sacra concione, & communicatione cum directore.*

Hæc 3. sunt præcipua media, quibus nos Deus instruit.

**L** ECTIONI SPIRITUALI. I. Certum ne habes ac destinatum tempus? an consilio directoris?

II. Nulla te occupatio ab hac avocet. Si enim doctus es, fortasse speculativè, non practicè doctus es: si ignarus, erudiri sic debes. Quæ legeris, ad praxin redige.

III.



III. Ei potissimum lectioni vaca, quæ tibi conveniat: non enim cuilibet omnis convenit. Si in aliquam virtutem præcipuè incumbis, de ea lege.

IV. Ne plures legas libros quam par sit, etsi bonos: plus prodest unus, si perpendatur, & regustetur, quam plures cursim lecti: multitudo ciborum obruit stomachum, non alit: sic & librorum multitudo animum.

V. Cave ne curiositas irrepat: sed fuge præsertim ea quæ sapiunt novitatem. Ipsa etiam bonarum rerum aviditas quandoque nocet: quare ne ultra præscriptum tempus nimium protrahas lectionem.

VI. Antequam incipias lectionem, pete lumen à Deo; & in fine, roga ut confirmet, quæ operatus est in te.

VII. Expediit imprimis legere aliquid ex sacra Scriptura, & ex libro de Imitatione Christi.

CONCIONATORES. I. Audi, qui magis erudiendis, & movendis auditoribus, quam delectandis studeant.

II. Ad concionem te confer, non ut censor, sed ut humilis docilisque doctrinæ divinæ discipulus. Ora Deum, ut quæ dicuntur, non careant suo fructu apud te & apud cæteros. Quod te præcipuè moverit, regusta: vide quo pacto id usurpes.

DE DIRECTORE. I. perpende, utrum matura cum deliberatione elegeris: an probitatis & doctrinæ probatæ sit: num te ducat per



vias insolitas, & anxie prohibeat, ne quemquam alium consulas: suspectus enim vel ex eo debet esse.

II. An sincerè cum illo agis? An præcipuos animi motus, vitia virtutes, & modum agendi in oratione, lectione, communione, mortificatione, &c. aperis? Num fortè melior vis ab eo haberi, quam sis, & sic aut defectus celas, aut virtutes fingis, aut exaggeras?

III. An te docilem & obedientem in omnibus ad salutem animæ pertinentibus præbes?

IV. Ad illum identidem: sed ante Deum ora, ut ei quæ ad tuam perfectionem faciunt, aperiatur. Cole ipsum: neque tamen tenacius illi adhæreas.

---

### CONSIDERATIO V.

*De statu & officio uniuscujusque, deque temporis usura.*

**D**E STATU UNIUSCUIUSQUE. I. An te Deus vocavit ad eum statum, in quo nunc es? si te vocavit, an, & quomodo ea, quæ sunt status illius, adimpleas?

II. Si statum, in quo es, mutare non potes, vide quomodo procurare in eo salutem tuam possis: si potes & debes mutare, vide quæ ratione possit ad Dei gloriam, tuamque salutem. Sed in re hujus momenti sapientis utere directoris consilio.

III. Sorte tua contentus esto. Ne Superioribus invidias, ne despicias inferiores. Vita hominum

num



num tragœdia est, in qua non qui regis aut principis, sed qui bene personam suam gerit, qualiscunque illa sit, laude & mercede dignus est.

IV. Quo pacto adversis properisque uteris?

DE OFFICIO UNIUSCUIUSQUE. I.

An juxta Dei voluntatem tale officium suscepisti? Hoc si ita est, an eo, quo par est, modo in id incumbis? Reddere Deo rationem illius debes: hæc tua est ad cœlum via. Noli naturæ impetu aut hominum respectu agi, sed ratione Dei que voluntate, cujus meminisse inter agendum debes.

II. Ita respicere debes quæ tua sunt, ut respicias primò ea quæ sunt Dei; ita curare temporalia, ut non amittas æterna; ita jus tuum sustinere, ut ab alieno abstineas. Omnia quæ vel ad te vel ad familiam tuam spectant, pro tua conditione ordinatissima sunt: neque omittas quæ in eo ab hominibus verè Christianis usurpantur. Hæc hodie vide, tibi que præscribe.

III. Dum tuis negotiis vacas, cave à vana gloria, si sublimia sint; à nimia divitiarum cupiditate, si lucrum afferant; à voluptatis illecebra, si quid habeant delectationis. Quod si ardua sint, ne desperes: si gravia & dura, ne nimio plus perturberis. Quærenti Jesum in omnibus, nihil arduum aut grave est.

IV. Ita te occupent negotia tua, ut in Deo simul occuperis. Salus tua unum est maximum negotium.

V. Auctoritatem, si quam habes, eo tibi concessam existima, ut aliis prosis.

DE



DE TEMPORIS USURA. I. Tempore nihil pretiosius est : nihil tamen facilius teritur, nihil labitur celerius, nihil difficilius recuperatur. Ex bono vel malo temporis usu tota pendet æternitas.

II. Expende ergo quanti referat bene illud collocare, disponere, & distribuere. Quamobrem tempus sit orandi, tempus studendi, tempus negotiandi, tempus otandi, &c. Examina quomodo te in singulis geras, quid pecces, quid perficere possis.

---

## CONSIDERATIO VI.

*De virtute, cui studere potissimum debemus.*

CONsiderasti jam in meditatione de peccatis, quæ origo esset tuarum imperfectionum : ex eo vide quæ virtus tibi necessaria maximè sit, habita ratione tuæ indolis, muneris, & occasionum, quæ se offerent hoc anno. Pete à Deo lumen, ut eam virtutem probè eligas.

Perpende. I. radicem omnium, quæ in te sunt, imperfectionum : quanta sit illius vis, quomodo restiteris ad hanc diem, an creverit, & qui id factum sit.

II. Cogita pericula amittendæ Dei gratiæ, salutis, vocationis, perfectionis, in quæ te conjicit, considerata imprimis natura tua ferventiore, elatiore, &c.

III. Ab hac prima radice imperfectionum venies



nies ad secundam, & eodem modo ad tertiam, quas ita discuties accuratè, quasi tantum cum singulis tibi res esset.

IV. Constitue hoc anno virtuti contrariæ studere : Deum ora, ut tuam probet electionem, & propositum firmet.

V. Fine ita constituto, eligenda media sunt accommodata virtuti propositæ. Media autem alia sunt communia, meditatio, oratio vocalis, examina, lectio spiritualis, actiones pietatis, misericordiæ &c. alia propria. Et quidem. 1. est se discutias diligenter naturam vitii quod fugere, & virtutis quam consequi intendis. 2. Si proponas nullos actus vitii, virtutis autem oppositæ tum externos actus tum maximè internos elicere. 3. Si invigiles omnibus occasionibus, ut talem virtutem exerceas. 4. Si in examine & generali & particulari imprimis notes, quos progressus feceris, qui defectus occurrerint aut commissionis aut omissionis, & unde : quid obstiterit : quæ lumina habueris. Poenam tibi impone ob defectus admissos, & propone emendationem. 5. Si unaquaque hebdomada horam impendas unam recognoscendis tuis in hac virtute progressibus.

VI. Hæc autem hebdomadaria consideratio ita facienda. Perpendes. 1. quam intentionem proficiendi habueris. Hæc intentio debet esse frequens, firma, sedula, generosa : videbisq; an ex primo fervore aliquid remiseris. 2. Quomodo usus sis medijs generalibus, an aliquod ex iis  
omis-



omissum per incuriam : quomodo adhibueris  
 media ad tuum finem accommodata, qua di-  
 ligentia, quo ardore animi : atque hæc scripto  
 nota. 3. In memoriã revoca quæ per hebdoma-  
 dam integram desideria proficiendi habueris,  
 quos motus à Deo immisos &c. 4. Vide an  
 profeceris, quod ex tribus maximè intelliges: si  
 tuam utilitatem clarius cognoscas: si desiderium  
 sentias ardentius acquirendæ virtutis proposi-  
 tæ: si in exercitiis spiritualibus firmus sis & con-  
 stans. Potes item diem cum die hebdomadam  
 cum hebdomada conferre. 5. Considera quoties  
 viceris, & quoties victus sis: inquire unde lapsus  
 sis: remedium quære: pœnam aliquam tibi im-  
 pone. 6. Prævide hebdomadam consequentem:  
 qua de re meditari debeas: stude ut accomodata  
 sit tuo proposito, & careat imperfectionibus,  
 quas in præcedentibus deprehendisti: & sic de  
 omnibus rebus aliquid apud te statue. 7. Im-  
 pende diem unum singulis mensibus, ut virtuti  
 acquirendæ impensius vaces: lege, meditare,  
 examina, ut fecisti in hebdomadaria recolle-  
 ctione.

---

## CONSIDERATIO VII.

### *De conversatione.*

I. **T**ua conversatio debet ita utilis esse omni-  
 bus, ut tibi non noceat. Quod assequeris,  
 si & tuæ conditionis & eorum quibus cum a-  
 gis memineris.

II. Com-



II. Compone diligenter externum corporis habitum, vultum, oculos, gestus, vocem sic, ut te coram Deo agere semper cogites.

III. Amabilem potius quam austerum te præbebis: quod præstabis potissimum comitate, modestia, & humilitate, & magna erga eos cum quibus agis reverentia.

IV. Ita te gravem exhibe, ut effugias superbiæ aut arrogantia notam: ita comem & familiarem, ut levitatem, aut etiam nimis affectatam urbanitatem evites.

V. Quantum fieri poterit eorum te indoli, cum quibus versaris, accomoda. Quare noli flere cum ridentibus, neque ridere cum flentibus, nisi quandoque ut solatio aliquo recrees afflictos.

VI. Ita cum omnibus etiam domesticis age, ut nemo se putet à te contemni.

VII. In oblectationibus, conviviiis, ludis &c. tibi præcipue attende, Deique identidem memor esto: difficillime enim in his servatur modus.

VIII. Si tibi cum aliquo tractandum est de re paulo graviore, meditare prius dicenda, cor ad Deum & ad Angelum tuum custodem erige, converte te etiam ad illius Angelum custodem: si se minus tamen facilem ille præbebit, ne continuo despondeas animum.

IX. Cave præcipue ab omnibus, quæ quomodocunque violant alienam famam & charitatem.

X. Alienos



X. Alienos defectus patienter feras, neque ab his refugias, qui tibi sunt molesti: tibi enim proficies vincendo naturam, & illis quos tua facilitate aut demulcebis aut corriges.

XI. Quære eos potissimum qui de rebus divinis & piis libenter colloquantur: sed dum de iis ages, ne te importunum aliis exhibeas, & cave ne monere magis, quam colloqui videaris.

XII. Si quid peccatur quod à te debeat corrigi, id ita præsta, ut neque videre indulgentior, neque etiam subiratior.


XIII. Singularis industriæ est, inutiles aut pravos sermones ad utiliores convertere: sed non fit sæpe sine aliorum offensione, quæ ut vitetur, petendum à Deo auxilium.

XIV. Cave ne, cum res tibi minus belle procedunt, dent alii tibi pœnas tuæ morositatis.

XV. Fuge ut pestem lusus illos minus liberales, qui in scurrilitatem degenerant: quia nihil magis veræ pietati perniciosum est. Ita moderata sit læticia tua, ut nunquam te in cachinnos effundas.

XVI. Cum id à te officium exiger, ut aliquos invisas, curabis eo modo id fiat, qui Christianum hominem decet: neque plus temporis impendes, quam honestas aut necessitas requirat.

XVII. Suspectas amicitias aut periculosas fuge.





CONSIDERATIO VIII.

De mortificatione.

**F**Alluntur vulgo seculares, qui mortificationes omnes in claustra amandandas esse putant. Neque enim æquum est, ut qui innocentius vivunt, pœnitentiæ, quæ reorū est, potissimum studeant. Certè non religiosos solos, sed Christianos omnes Christus alloquitur, dum ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Constat igitur, omnibus ad salutem & perfectionem aspirantibus mortificationem esse amplectendam.

Matt.  
16. 24.

II. Ea duplicis est generis: altera penitus necessaria, altera utilis tantum. Prima præcipitur, secunda consulitur: de illa dictum est, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te:* de ista: *Qui potest capere, capiat.* Primi generis usus consistit in eo, ut quidquid ad peccatum sive mortale, sive veniale impellere posset, penitus abjiciatur.

Marc.  
9. 46.

Matt.  
19. 12.

III. Considera, quæ sit frequentior causa lapsus, utrum avarici, amor propriæ excellentiæ, ambitio, voluptas, &c. hæc enim tibi amputanda esse profus existima. Nam, ut ait veritas æterna, *Si quis non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Luc. 14.  
26.



IV. Sed remota peccandi occasione, qui ad perfectionem aspirat, majus aliquid aggredi oportet. Nemo est, cui non insit aliqua minus ordinata inclinatio. Alii plus æquo honoris appetentes sunt, alii nimis indulgent corpori, illi in ludum propensiores, isti conversationibus quibusdam libertioribus implicati sunt. Quisquis ejusmodi est, sciat se nunquam Deo penitus acceptum fore, nisi modum in iis eumque arctissimum servet. Licet enim ista apertè peccata non sint: difficile tamen ab omni peccandi periculo absunt. Firmiter igitur hodie proponensensuum, inclinationū, vanitatis, desideriorum, curiositatis studere mortificationi: qui enim illam neglexerit, rarò, aut nunquam perfectam animi puritatem assequetur.

V. De mortificationibus corporis nihil est quod speciatim dicam: unusquisque vires propriamque necessitatem consulere debet. Hoc unum in genere affirmare licet, quod sæpe longè plura ferre possumus, quam natura sibi malè blandiens arbitretur.

VI. Verum ne quis prudentiæ limites excedat, consulat conscientiæ moderatorem, illisque pœnitentijs magno & forti animo utatur, quas sibi aut necessarias esse aut utiles ad perfectionem acquirendam judicarit.



INDEX